



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXIV. Quid sit formaliter potentia producens Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

relationi, ut significet ex æquo utrunque. Licet enim paternitas ut forma patris significetur, est tamen proprietas personalis habens se ad personam patris, ut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat: alioquin Socrates generaret Socratem. Unde neque paternitas potest intelligi, ut quopater generat, sed ut constituens personam generantis: alioquin pater generaret Patrem. Sed id quo pater generat est natura diuina, in qua sibi filius assimilatur. Et secundum hoc Damasc. dicit, quod generatio est opus naturæ non sicut generantis, sed sicut eius quo generans generat. Et ideo potentia generandi significat in recto naturam diuinam, sed in obliquo relationem.

Lib. 1. ortho-
dox. fid. c. 8.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia non significat ipsam relationem principij, alioquin esset in genere relationis: sed significat id quod est principium: non quidem sicut agens dicitur principium: sed sicut id, quo agens agit, dicitur principium. Agens autem distinguitur a facto, & generas a generato. Sed id quo generans generat, est commune genito & generanti: & tanto perfectius quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum diuina generatio sit perfectissima, id quo generans generat, est commune genito & generanti, & idem numero non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo quod dicimus, quod essentia diuina est principium, quo generans generat, non sequitur, quod essentia diuina distinguatur: sicut sequeretur, si diceretur quod essentia diuina generat.

Ad secundum dicendum, quod sicut est idem in diuinis potentia generandi cum generatione: ita essentia diuina cum generatione & paternitate est idem re, sed non ratione.

Ad tertium dicendum, quod cum dico potentiam, potentia generandi significatur in recto, & generatio in obliquo. Sicut si dicerem essentiam patris. Unde quantum ad essentiam quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis. Quantum autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ patris.

CONCLUSIO est, Potentia generandi significat in recto essentiam, sed in obliquo relationem.

Quid sit formaliter potentia produ-
cens intra Deum.

Opinio Bonauenturae, cap. 1.

Exponuntur quinque alia Scholasticorum sententia cap. 2.
Potentiam, quæ producit personam diuinam, esse diuinam
essentiam connotatam proprietate, verior sententia
est, cap. 3.

Corollaria superioris sententia: & solutio argumentorum
aliarum opinionum, cap. 4.

CAP. I.

Opinio Bonauenturae.

ANtequam varias Scholasticorum opiniones referamus, præmittendum est, Deo duplici modo principium producentem assignandum esse, nostro modo intelligendi, instar aliarum rerum: est enim principium quo agens producit, & vocari solet, ut principium quo, & principium, quod producit. De hoc dicitur principium quod. Principium quo, idem est, quod potentia, de qua nunc inquirimus. Est autem virtus quædam, qua instructum aliquod agens operatur, principium autem quod, dicitur totum ipsum, quod hac virtute præditum aliud producit. In diuinis vero principium quod, dicitur persona; principium autem quo, dicitur potentia, de qua nunc est nobis controuersia, quidnam formaliter sit, utrum relatio, an essentia Dei, vel utrumque simul.

Porro hoc duplex principium non repugnat simplicitati Dei, ut falso docuit Greg. in 1. diff. 7. q. 2. artic. 2. qui eadem ratione negat in Deo formam illas, quas notiones Theologi appellant, ut diff. 136. c. 2. memorauimus. Nam cum sola nostra consideratione hæc in Deo distinguantur, etiam in Deo aliquid ut forma aliquid instat materiam accipiat, nihil perfectioni ipsius derogamus, sed ut possumus, eum intelligimus: propter hanc rationem solam distinctionem rationis loquentem nobis esse per abstracta, & concreta nomina, & notiones per modum formarum esse in Deo constitutas, probauimus contra Gregor. & alios in illo capite. Nunc igitur quaestio est, quid sit formaliter potentia nostro modo intelligendi, seu principium, quo, in Deo respectu productionum personarum.

Hac præmissa notatione, prima sententia sit Bonauenturae in primum distinct. 7. quest. 1. & Durandi in quest. 2. num. 29. qui asserunt, principium quo, seu potentiam formaliter esse relationem, seu proprietatem: tamen si, cum de persona Patris loquitur Bonau. quam existimat prius ratione intelligitur potentem generare, quam actu generantem, dicitur potentiam esse proprietatem, non sub ratione relationis paternitatis, sed sub ratione ingenerantis: vero Durand. quia putauit, non posse concipi prius personam, nisi actu generantem, dicit potentiam esse ipsam proprietatem sub ratione relationis: ergo ambo in eo concordant, ut potentia formaliter sit proprietas personalis; differunt tamen in modo explicandi iuxta varias opiniones quas de principio constitutiente personam fecerunt, ut vidimus disp. 159. cap. 4. §.

Hæc opinio probatur primo. Quoties aliqua productio, vel operatio conuenit alicui supposito quæ non conuenit alteri, imo ei repugnat, principium, & potentia illius debet esse aliquid, quod ipsi supposito peculiare sit; nam si ratione alicuius communis, potentia conueniret, operatio illa utrique supposito tribueretur: atqui generatio, verbi causa, conuenit Patri, & nulli alteri personæ; ergo principium illius est, quid peculiare ipsi, hoc autem nihil aliud est, quam proprietas, vel hoc, vel illo modo considerata. Ex eodem principio sequitur, potentiam spirandi non esse essentiam, sed communem proprietatem in Patre & Filio; cum ab utroque spiratio promoueat. Secundo formam alicui tribuere esse, & non operari imperfectum est: atqui paternitas tribuit aliquid esse primæ personæ; ergo nisi tribueret etiam operari imperfectum esset, quod est absurdum. Tertio denique cum essentia nequeat esse potentia, ut infra probabitur, nihil aliud relinquitur, quam proprietas quæ possit esse potentia.

Hinc sententiam improbat S. Thomas in hoc articulo. Scito in primo distinct. 7. qu. 1. §. loquendo, ex Anselmo in monologico cap. 54. ubi de Spiritu sancto sic ait. Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & filius, sed ex eo: in quo unus sunt. Et ne aliquis putaret ex relatione spirationis procedere, continuo subdit. Nam non ex relationibus suis, quæ plures sunt, alia est enim relatio patris, alia filij, sed ex ipsa sua essentia, quæ pluralitatem non admittit, emittunt Pater & filius tantum bonum. Et in lib. de processione Spiritus sancti, cap. 15. inquit, Spiritum sanctum procedere de diuinitate Patris, non de paternitate. Idem reperit cap. 30. Probat etiam Sanctus Thomas ex Damasceno 1. de fide cap. 8. post medium, ubi sic loquitur generatio quidem principij ignea & sempiterna est, & quæ natura ipsa sit, atque ex ipsius essentia producat, & paulo antea: generatio quidem in eo consistit, ut ex gignente essentia proles eiusdem cum gignente substantia producat. Et paulo ante definiens ipsam fecunditatem, quæ nihil aliud videtur esse, quam potentia generandi, ita scribit. Fecunditas porro in eo posita est, ut quis ex seipso, id est, ex propria essentia prolem naturæ similem edat. Cum igitur dicant, id, ex quo producit, aut procedit in diuinis personis, esse essentiam; & fecunditatem in eo positam esse, ut ex illa producat, plane sentiunt potentiam esse ipsam essentiam, non relationem. Id enim, ex quo producit aliquid, ex parte producentis est potentia, quæ est principium quo factis enim notum est, non loqui Damasc. & Anselmum de alio genere principij, ex quo, quam de principio producendi; cum alter dicat, generationem esse naturæ opus (nam si esset relationis aut proprietatis, non esset naturæ) alter vero dicat, Spiritum sanctum ex essentia procedere; particula enim ex; respectu processionis, nec principium formale, nec materiale significare potest.

Quare reprehensione digni sunt recentiores, qui hæc testimonia Patrum labefactare conantes, alserunt, eos non loqui de principio producendi, sed tantum contra Arium ostendere voluisse, personas diuinas non fuisse ex nihilo productas: hoc enim tantum excluditur, si supponatur principium materiale, aut quasi materiale, vel formale productionis: ut vero Patres citati plane indicant principium producendi, ut probatum est.

Ratione vero sic arguit Greg. loco citato, quia

Vaquer in 1. p. tom. 2.

si principium quo, seu potentia esset, proprietas, productio personæ æquiuoca esset: tunc enim effectus æquiuocus dici solet, quoties non assimilatur principio producendi: nam ut ait S. Thom. proprium est agentis (intelligi vniuersum) assimilare sibi productum in principio producendi. Missis autem aliis rationibus Scoti, deinde hoc ipsum probari potest hoc modo. Processio verbi proprie est dictio, & intellectio, ut disput. 112. cap. probatum manet, relatio autem non est principium formale, & potentia intelligendi, ut patet, ergo nec generandi.

Exponuntur quinque alie Scholasticorum sententie.

Secunda opinio sit, quam refert Durandus in Spiritum dist. 7. quæst. 1. nu. 18. quorundam, qui dicebant, essentiam & proprietatem æque esse principium quo, seu potentiam, respectu tamen diuersorum. Nam in diuina productione duo sunt, & communicatio essentia, & generatio: respectu prioris, essentia est potentia: respectu posterioris, proprietas, seu relatio. Probat autem eam hoc modo, Principium communicationis non debet distinguere ab eo, quod communicatur: quia idem se ipsum potest communicare; principium tamen productionis debet distinguere a re producta, quia nihil se ipsum producit: ergo recte essentia ponitur principium, seu potentia communicationis, proprietas autem productionis.

Hanc sententiam impugnat Durandus hac ratione, In diuinis non est alia actio communicatio, alia generatio: adeo, etiam nostro modo intelligendi, quia eadem actione communicatur essentia, & producit filius; nec filij productio sine essentia communicatione, nec essentia communicatio sine aliqua personæ productione potest intelligi: communicare enim aliquid est, commune aliquid facere, quod ipsamet productione fit; id ergo quod nequit esse principium vnius, non erit alterius: quare si essentia non est principium productionis, non erit communicationis.

Tertia sententia est, quam Scotus loco citato putauit esse Sancti Thomæ in hoc articulo, & nonnulli censent fuisse Magistri in primo distinct. 7. videlicet potentiam generandi, aut spirandi in Deo esse solam essentiam absque proprietate vlllo modo. Eam quoque sequitur Gabriel in primo distinct. 7. quæst. 1. 2. & 3. Pro cuius explicatione notat quæst. illa 1. artic. 1. notat. 2. principium eliciens alicuius operationis illud esse, quod per se necessario requiritur ad productionem, & non est ipsa productio formaliter, neque in ea constituitur: cum igitur paternitas, & alia proprietates non possint esse principium eliciens, quia est ipsa productio, efficiunt, essentiam esse tale principium. Veruntamen principium producentis inquit esse personam, quia illa est, quæ producit non essentiam, ergo distinguit inter principium eliciens, & producentis, ut patet ex dictis.

Ceterum non minus facile hæc sententia impugnari potest, quam præcedens: primo quia ex ea sequitur, in filio esse potentiam generandi, quia in eo essentia, & hæc est potentia generandi. Quod si dicas, deficere conditionem aliquam requisitam,

D d 3 tam,

Tertio ratione.

Secunda opinio. Aque. essentiam ac relationem esse principium quo. Durandus. Ratio.

Impugnatur secunda opinio.

Tertia opinio. Solam essentiam esse principium quo. Magister. Gabriel.

72

Impugnatur secunda opinio primo modo.

Secundo.

316
tam, id paulo post contra Scotum impugnetur.
Secundo frustra Gabriel distinguit principium eliciens, à principio producenti. Nam si principium eliciens, ut ipse fatetur, est principium actionis, erit etiam principium rei productæ media actione; actio enim est media via ad rem productam. Tercio, quia nihil obstat videtur, quo minus relatio, seu proprietas sit principium eliciens, & potentia: nam, licet re sit idem relatio, & origo actiua, quia tamen ratione differunt, satis esse videtur, ut relatio esse possit potentia, & principium originis: alioquin nec essentia esse posset, quæ secundum veriorum sententiam distinguitur ab origine sola ratione. Adde, quod cum persona producat non distinguatur realiter ab origine actiua; non poterit esse principium illius, si relatio ideo esse non potest, quia ab ea sola etiam ratione differt.

Quarto.

8.

Quarta sententia, Principium, quod esse solam essentiam, relationem autem esse conditionem necessariam

Quarta opinio est Scoti in 1. dist. 7. q. 1. § ad questionem igitur, & § quia autem alia argumenta, nempe potentiam in Deo esse solam essentiam diuinam in se absolutam; conditionem vero necessariam, ut producat, esse proprietatem talis, aut talis personæ. Nec obstat, inquit ille, quod nomen potentia relatiuum sit, essentia autem diuina absoluta: vimur enim hoc nomine relatiuo, cum alio modo hanc perfectionem explicare non possimus: significare autem volumus fundamentum illius, quod absolutum est. Id quod in multis aliis nominibus Dei contingit.

Probat vero Scotus, essentiam esse potentiam, hoc modo: id, quod est maximæ perfectionis in principio, aut potentia, non impedit rationem principij aut potestatis: communicare autem se in identitate naturæ est maximæ perfectionis: ergo non impedit rationem principij & potestatis: atqui, si Deus produceret alium Deum, & communicaret illi aliam naturam, sua essentia esset principium & potentia producat: ergo nunc etiam erit, tamen si non producat alium Deum, sed aliam personam in eadem natura: siquidem communicare se in eadem natura non impedit rationem potestatis & principij, ut probatum est. Deinde idem confirmat, quia terminus formalis est essentia, ergo & principium, seu potentia est essentia: vnum enim alteri respondere videtur. Porro relationem seu proprietatem esse conditionem requisitam necessario dicere debuit, ne cogeretur asserere, essentiam in quavis persona generare & spirare.

9.
Impugnatur quarta sententia.

Vnica tamen ratione improbat prædicta sententia, quia ex ea sequeretur, essentiam diuinam in quavis persona generare & spirare. Nam ubi est principium actionis, aut productionis, nisi ad sit impedimentum, sequitur actio seu productio: essentia autem est in quavis persona, nec vllam in ea est impedimentum: ergo in quavis generat, & spirat. Diceret Scotus, esse impedimentum in aliquibus, quia illis deest conditio necessaria, quæ est talis relatio, seu proprietas personalis. Ceterum hoc non recte dicitur, quia vbiunque aliqua potentia suapte natura postulat esse, nequit habere impedimentum perpetuum ex natura rei, nisi fortassis ex accidenti: atqui essentia diuina suapte natura postulat esse in tribus personis: ergo in nulla illarum potest habere impedimentum ex natura rei: accidentarium autem, & ab extrinseco proveniens nequit habere: ergo in omni persona non potest illi deesse conditio quævis requisita ad operandum: alioqui naturaliter postulat esse in ea

etiam persona, in qua naturaliter haberet impedimentum sui actus, quod est absurdum.

Quinto denique Henricus quod lib. 3. q. 3. docet, quod tam essentiam quam relationem esse perfecte & distictum, recte requisitam ad rationem potentie, ita ut utraque in recto ad eam pertineat; principium tamen proprietas. Eodem modo refert hanc sententiam Scotus ex Henrico in summa art. 57. qu. 7. ratio est, quia in omni generatione duo sunt aliterum est, producere simile; alterum est, producere distinctum: magis autem præcipuum in generatione est, terminari ad distinctum, ut simile est, quam ad simile, ut distinctum est: ergo in potentia generandi præcipuum est proprietas, ratione cuius attenditur distinctio inter gentium, & genitorum: esse autem præcipuum id, ratione cuius sequitur distinctio, probat, quia non ideo Petrus generat hunc hominem, quia generat hominem, sed contra ideo generat hominem, quia generat hunc hominem.

Ceterum si hæc sententia vera esset, nulla distinctio, etiam secundum rationem, inter personam, & potentiam posset assignari. Cum enim persona nihil aliud includat quam essentiam & relationem: & potentia similiter, idem omnino erunt, & sola erit nominum differentia. Quod si aliquis dicat, posse esse distinctionem non rationis, sed solum ex modo significandi, contra hoc iam dictum est disp. 1. 59. cap. 4. diuersum modum significandi non esse, nisi in re significata aliqua sit distinctio, saltem rationis.

CAPUT. III.

Potentiam, quæ producit personam diuinam, esse diuinam essentiam connotata proprietate vniuersæ sententia est.

Probabilior, & verior in scholis sententia est, quæ asserit, potentiam producentem intrinsecam personam, esse essentiam connotata proprietate, quæ ipsam essentiam modificat, ut sit potentia. Hanc tradit Caiet. & Canar. in hunc art. Caput. 3. in 1. distinct. 7. qu. 1. art. 1. conclus. 2. & 3. Magis in 1. quæst. 1. articulo 2. conclusione 3. & 4. & Ferrar. in 1. contra gentes cap. 13. §. Considerandum etiam. Quocirca proprietas personæ non tantum erit conditio requisita potentie, ut producat & creat in actum, sed etiam, ut sit potentia formaliter: nam quamuis ad conceptum illius non pertineat in recto; tamen in obliquo essentialiter nomine potentie connotatur, & in ipsius conceptione includitur. Pro huius autem opinionis explanatione notandum est cum Caietano primum nomine potentie non intelligi proximum principium quo generationis: hoc enim est intellectus patris, sicut voluntas patris & filij est proximum principium spirationis, sed intelligi primum & remotum principium. Eadem tamen proportio de utroque philosophandum est: ita, ut essentia in recto significata, connotata quoque proprietate personali in obliquo, sit primum principium quo, proximum vero sit intellectus aut voluntas in recto significata, connotata quoque proprietate personali in obliquo: hoc autem proximum & volitione omnes concedunt, quia ad has operationes non tantum concurrunt intellectus aut

voluntas, sed etiam ipsa natura diuina, sicut in rebus creatis contingit.

Deinde obserua, cum persona patris intelligatur a nobis prius cum potentia generandi, quam generasse, & pater sit connotatum, quod per se pertinet ad potentiam generandi, non esse conditionem connotatam paternitatem sub expresse conceptu paternitatis, sed proprietatem primæ personæ, qualis a nobis ante generationem concipitur iuxta ea, quæ diximus disp. 159. c. 5.

Possit tamen alicui videri, facilius assignari conditionem potentie spirandi considerat etiam in actu spirandi: quod conditio connotata huius potentie non sit relatio spiratoris, sed paternitas & filio sub expresse conceptu harum relationum. Cum enim concipiamus patrem, & filium antequam spirant, recte etiam intelligere possumus essentiam diuinam aut voluntatem his relationibus ita determinatam, ut sit potens spirare, ita ut hanc determinationem in alia persona non habeat. Ego tamen exilimo conditionem potentie spirandi, quæ connotatur nomine talis potentie, non esse paternitatem, & filiationem: sed relationem spiratoris. Nam cum potentia spirandi sit una integre communis patri & filio; oportet ut in vnoquoque illorum habeat integrum connotatum, quod requiritur, ut sit potentia: si autem connotatum esset paternitas & filio: aut utraq; simul, esset vnum integrum connotatum: & ita talis potentia integre non esset in qualibet persona, quia in qualibet non esset integrum connotatum: ut patet. Aut quilibet relatio per se esset conditio connotata sufficiens ad talem potentiam: & ita non esset eadem potentia spirandi in patre, quæ est in filio, quia non esset eadem conditio connotata in vtroque.

Quare dicendum est, conditionem connotatam huius potentie esse communem relationem spiratoris, quæ tota est in patre, tota in filio. Si tamen loquamur de potentia, prout a nobis concipitur ante actum spirandi, idem de ipsa dicendum est, quæ de potentia generandi, quæ postulat ut conditionem connotatam paternitatem, ita ut relatio spiratoris non concipitur tunc sub expresse conceptu spiratoris, sed confuse, sicut de paternitate diximus, quando concipitur ut conditio connotata potentie generandi ante actum generationis.

Ex hac vero doctrina de potentia generandi, & spirandi, optime statim inferemus, quo modo in vna persona sit potentia produciens personam, quæ non sit in alia.

Verum enimvero, cum nomina concreta naturæ, ut *Deus*, directè significent naturam, connotent autem suppositum, atq; hoc ipsum de potentia generante dictum sit, assignanda est differentia inter hæc duo, ne facile confundantur. Est igitur discrimen primum, quod nomen concretum *Deus* connotat suppositum vage, non hoc aut illud, nomen autem, *potentia*, connotat proprietatem huius suppositi singularis, ut explicauimus præterea nomen *Deus* connotat suppositum, quo natura subsistit: at nomen *potentia* significat proprietatem, ut modificetur essentiam & eam determinet ad producendum, quæ in alia persona non determinatur.

Vasquez in 1. p. tom. 2.

Corollaria superioris sententia, & solutio argumentorum aliarum opinionum.

EX hac doctrina recte colligitur potentia generandi, aut spirandi non esse in omnibus personis, sed in illis, quarum proprietates sunt connotatæ. In qua sententia nobiscum conueniunt, quotquot asserunt, potentiam aut esse proprietatem personæ, non essentiam, aut non esse solam essentiam: id quod ex dictis manifeste consequitur. Quare errauit *Gabr. in primum distind. 7. qu. 3.* cum asseruit patrem communicare filio id, quo generat, intelligit autem potentiam generantem: sed inquit, in filio non generare, quia est perpetuo impedita. Nec mirum est, quia hic author, ut retulimus, sentit, potentiam generandi aut principium, quod ipse vocat elicium, esse solam essentiam. Ceterum mirandum est, quare *Marsil. in 1. qu. 1. artic. 3. & 4.* dixerit, potentiam generandi esse in omnibus personis, sicut est essentia: cum tamen ipse doceat, ut c. 3. vidimus, potentiam non esse solam essentiam, sed ad rationem illius pertinere proprietatem, sicut aliquid connotatum: addit tamen, hanc potentiam non generare in omni persona, non propter rationem *Gabrielis*; sed hæc de causa: nam quemadmodum si idem calor esset in igne, & in aqua, ignis per eum calefaceret, non tamen aqua: præterea, si eadem potentia videndi esset in oculo, & in osse, videret oculus, non os: sic etiam eadem essentia existens in Patre & filio, in Patre generat, in filio non generat.

Horum tamen sententia ex dictis facile refellitur; cum enim nuda essentia non sit potentia, ut probatum est, sed personali proprietate determinata, nequit eadem esse in omnibus personis. Porro rationes, quibus prædicti authores docent, potentiam non generare in omni persona, in qua est, frivole sunt. Prior, quam asserit *Gabriel*, iam satis impugnata est c. 2. Posterior vero facilius potest impugnari, primum quia exemplum de calore ineptum omnino est: calor enim in aqua est in subiecto præter naturam, & ideo actio caloris in aqua, non potest ab ipsa aqua deriuari: at essentia diuina per se est in quavis persona: ergo si essentia est in vna persona naturalis potentia generandi, in alia etiam esse poterit. Deinde si facultas videndi naturaliter esset in osse, videret os, quia esset in naturali subiecto, scilicet in animali: & sicut suapte natura posset in eo esse, posset in eo operari. Impossibile namque est facultatem aliquam suapte natura in aliqua parte residere, in qua perpetuum, & naturale habeat impedimentum, ut c. 2. dicebamus. Quod si præter naturam facultas videndi esset in osse, non videret os impedimentum, quod haberet præter naturam: at vero essentia diuina non est præter naturam in filio, sed æque naturaliter, atq; in Patre: ergo si illa sola est facultas generandi, & in Patre generat, in filio quoque generabit.

Ex argumentis vero, quæ cap. 1. & 2. allata sunt, duo tantum supersunt Durand. in 1. c. posita, & alterum *Scoti*, in 1. c. quibus respondere oportet. Ad primum Durand. dicimus: patrem generare secundum id, quod sibi proprium est: proprium autem non est sola relatio aut proprietates personalis:

D d 3 sed

Potentia generandi, vel spirandi non est in omnibus personis.

141

Ad primum sententia.

Ad secundū.

sed etiam essentia tali proprietate determinata, & hanc diximus esse potentiam generandi. Secundū vero nullius momenti est, aut contra mysteriū nostrā fidei probat. Nam si idcirco paternitas diceretur imperfecta, quia daret esse, & non operari: & ideo deberemus assignare ei generationem, tanquam facultati generanti, sequeretur processione, quæ ponitur proprietatis Spiritus & esse formam imperfectam, quia nullo modo tribuit Spiritui S. operationem ullam, cum non sit principium producendi aliquid extra nec intra Deum. Respondemus igitur etiam si proprietatis non tribuat personæ operationem, esse nihilominus perfectionem illius, quia ad complementum personæ nostro modo intelligendi pertinet: nec enim omnis perfectio alicuius debet ei tribuere virtutem producendi. Ad tertium vero argumentum Durand. ex dictis patet solutio.

Ad tertium.

Ad rationē quartā sententia.

Ad argumentum autem Scoti adductum in 2. c. dicimus, si Deus produceret alium Deum, tunc vere fore assignandam ut facultatem generandi essentiam Dei, quia produciens alium Deum produceret aliam essentiam, cuius posset esse principium. Nam principium debet distinguere a re producta: idem enim non potest seipsum producere. Nunc vero, quia Deus producit Deum in eadem natura, ipsa natura secundum se nequit esse principium, quia à re producta non distinguitur. Addimus ergo illam determinationem proprietatis personalis, secundum quam distinguitur à re producta, ut possit esse principium.

DISPUT. CLXV.

An tres personæ æquales sint in omnipotentia.

Varia Scholasticorum placita, cap. 1.
Vera sententia, cap. 2.

CAPVT I.

Varia Scholasticorum placita.

Controuersia hæc ex præcedenti, & ex his, quæ diximus disput. 104. facile poterat expediri; sed quia Scholastici forsan de sola voce differentes, variè opinati sunt, eorum sententias in hoc cap. enumerare, & sequenti aliquid pro vera illius explanatione breuiter dicere necesse fuit.

Prima opinio. Omnipotentia, ut intelligitur, est potentia generandi & spirandi in omnibus personis.

Primum igitur Marsilius in 1. p. 23. art. 2. part. 2. sentit, sub omnipotentia contineri potentiam generandi & spirandi; cumque dicat, potentiam generandi & spirandi esse in omnibus personis, ut præcedenti disput. c. ult. retulimus; asserit etiam, omnipotentiam, quatenus hoc modo sub se includit potentiam generandi & spirandi, esse in omnibus personis, licet in omnibus non possit generare & spirare. Marsilio consentit *Canariensis*. in comment. art. 6. quæst. seq. Cum asserit, omnem potentiam, quam habet pater, esse in filio; quamuis filius non possit media illa generare, sicut pater. Ut autem hoc explicet videtur exemplis, quibus vsus est Marsilius c. ult. superioris disp. ad explicandum quomodo in filio esset potentia generandi, & generare non posset: & addit aliud huiusmodi. Si idem calor esset in viro, & muliere, in muliere generaret lac, in viro non: nihilominus ait, potentiam ad generandum, quam generatiuum vocant, filio non esse concedendam.

Ceterum, cum iam supra probatum sit in illo cap. potentiam generantem non esse in filio, nec in spirantem in Spiritu sancto, si omnipotentia sub se comprehenderet omnem potentiam, etiam producentem intra Deum, sequeretur omnipotentiam non esse in quolibet persona, quia aliqua potentia non est in aliqua persona. Porro exempla illa, quibus vsus est Marsilius eodem cap. satis impugnata sunt, atque eodem pacto refelli possunt illud, quo Canar. vitur. Nam idem calor in viro & muliere ideo non haberet eandem virtutem operandi, quia non esset coniunctus eidem substantiæ, cuius est instrumentum: nec enim calor est tota causa producendi lac, sed quia coniunctus est tali formæ, vel certe tali temperamento, quod ut causa per se etiam requiritur. At vero essentia diuina solum differt, quia est in diuersis suppositis, quare si ipsa esset tota ratio potentie generantis, sequeretur vbiunque esset, ibi etiam generantem. Miror tamen, cur Canar. dicat omnipotentiam etiam sub se comprehendat potentiam producentem intra Deum, esse in quolibet persona, cum tamen non concedat potentiam generantem, & spirantem in quolibet.

Secundo S. Thom. quæst. 42. artic. 6. ad 3. & Item, 4. contra gentes cap. 13. ut defendant tres personæ esse æquales in potentia, concedunt potentiam quæ est in patre, esse in filio, sed sub diuerso respectu: nam in patre est, ut generet, in filio vero ut generetur: & hoc satis esse, ut dicatur æqualis potentia. Verum, cum solum difficultas propofita sit de potentia ad agendum vel producendum, quæ dicitur actiua, non de passiva, ut produciuntur aliquid, non videtur eo modo sufficienter responderi. Nam si aliqua potentia actiua non est in his sequitur, omnes personas non esse æquales in potentia ad agendum: & quidem omnipotentia, de qua quærimus, an æque sit in omnibus personis, non est ad patiendum, sed ad agendum, ut idem S. Thom. faceret supra q. 25. art. 3. ad 1. Hæc ratione conuictus Durandus putat alio modo satisfaciendum esse difficultati propofite.

Tertio Thom. de Argent. & Algildus de Romanis, ut refert Scotus loco inferius citando, asserunt, ita in filio esse omnipotentiam, sicut in patre, & in Spiritu sancto, etiam si filius non possit generare, nec Spiritus sanctus spirare; non quod omnipotentia sit tunc respectu eorum, quæ extra Deum esse possunt; sed etiam si sit respectu eorum, quæ intra Deum possunt produci, quia omnipotentia in vniuersum fertur ad ea tantum, quæ fieri non implicat contradictionem, Nec illo modo derogat omnipotentia, aut minuit eius virtutem, si producere nequeat, quæ implicat contradictionem: ergo cum implicet contradictionem aliam, filium diuinum à filio generari, & alium Spiritum sanctum à Spiritu sancto produci, omnipotentia ipsorum vniuersum considerat, nihil obstat, non posse generare, aut spirare, quia omnipotentia est respectu eorum, quæ non implicant contradictionem.

Assignat vero discrimen inter actionem transeuntem, & immanentem, quia omnis actio transeuntes, vel effectus illius, qui ex se absolute consideratur, non respectu agentis, non implicat contradictionem, cadit sub omnipotentia: tamen, ut actio immanens dicatur cadere sub omnipotentia, non satis est, si in se considerata non implicat contradictionem.